

SCRIPTA

Numéro Scripta : 7529

Auteur(s) : Philippe d'Harcourt, Bayeux (évêque)

Bénéficiaire(s) : Caen, Saint-Étienne (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1142-1163]

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Charte, à peu près identique de fond et de forme ; rappel de ceux qui ont attesté la charte de donation d'Odon Ier de Conteville.

Tableau de la tradition

Original

A. Caen, Archives départementales du Calvados, H 1844 (2).

Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Un grand bâtisseur : Philippe de Harcourt, évêque de Bayeux (1142-1163)*, Paris, Naert, 1930, Pièces justificatives, n° II, p. 135-136.

b. Dupuy Hubert, *Recueil des actes des évêques de Bayeux antérieurs à 1205*, Thèse, École des Chartes, 1970, 2 vol. (dactyl.), n° 47, t. 1, p. 90-93.

Indications

Léchaudé d'Anisy Amédée-Louis, *Extrait des chartes et autres actes normands ou anglo-normands qui se trouvent dans les archives du Calvados*, Caen, Mancel (MSAN ; 7-8), 1834-1838, 2 vol., t. 1, p. 272, n° 16.

Dissertation critique

Datation proposée par H. Dupuy (DUPUY, Recueil des actes des évêques de Bayeux, t. 1, p. 90). La datation « peut-être vers 1154 » est proposée par V. Bourrienne.

Texte établi d'après a

Notum sit omnibus christiane religionis cultoribus quod ego Philippus, dispensante Deo Baiocensis ecclesie antistes, concedente capitulo nostro, trado cenobio quod a domino meo Willelmo, Anglorum rege, Normannorum et Cenomannorum principe, in Burgo Cadomi, in honorem beatissimi prothomartiris Stephani, constructum est, de iis solis ecclesiis, domibus, terris, que prefate abbacie date sunt ante dedicationem vel in dedicatione, id est de eo quod habebat ipsa die in Cadomo ; de toto Villario ; de tota terra quam Millo dedit filie sue Beatrici in conjugium Venuntio, et de duodecim jugeribus terre quam emit abbas Lanfrancus in eodem Venuntio ; de pratis que vendidit Willelmus de Corcella predicto abbatie de fedio meo ; de toto Ros, preter ecclesiam ; de toto Ceusio cum ecclesia ; de eo quod tenuit Grimaldus in Alamannia et in menbris ejus, scilicet Stavellis, Itio, Fulbertfolonia, Borgesbud ; de domo Rogerii et dimidia acra terre de Hogo ; de eo quod tenuit Willelmus de Landa in Bratio ; de toto Cadburgo ;

de burgo Dive, cum antiqua capella, usque ad pontellum qui dividit Baiocensem episcopatum a Luxoviensi ; de silvis de Malo Pertuso, Tortavalle, Folidaya, Caisneto, cum terris, et aquis, et ecclesiis que eisdem silvis pertinent ; de duobus molendinis in Burgo Cadomi ; de vinea cum domo vinitoris in Badvento ; de eo quod tenuit Ricardus Goiz in Ruscavilla ; de eo quod tenuit Willelmus camerarius in Curleio, et de duodecim jugeribus terre quam Serlo monachus vendidit in eodem Curleio ; de eo quod tenuerunt Robertus Bertrannus et Rannulfus vicecomes in Britavilla Orguillosa ; de quatuor domibus in civitate Baioca, una scilicet que fuit Odonis capellani, et tribus Tedaldi quondam clerici Everemari ; de terra et domo Anschitilli Varagnonis in Hovetot ; de molendino uno super Leisam, cum dimidia acra terre et insula modica que eidem molendino proxima est ; de tota terra Rogerii Calvi de Britavilla super Leisam, et de dimidia acra quam dedit Rogerius, filius Bersad ; de tota terra Lovet, quam vendidit Lanfranco in Bilieto et Wamareto, cum parte ecclesie que ad ipsum pertinebat ; de terra Hugonis que est unius carruce, et ecclesia Sancte Marie in Matrevilla ; de terra quam dedit Rodulfus Herfredi in Badvento ; et de terra unius carruce quam vendidit Rodulfus filius Constantini in eodem ; de viginti jugeribus terre que dedit Ascelinus de Abonelvilla in eodem ; et de quinque jugeribus terre quam dedit Serlo Mariscalcus in eodem ; et de quinque jugeribus terre quam donavit uxor Roberti Balistarii in Siccavilla ; de terra quam tenebat Hugo de Rosel in Grainvilia. De his, inquam, predictis, de jure ecclesie Sancte Marie Baiocensis, trado ista que hic determino, videlicet de omnibus in prefatis ecclesiis, domibus, terris, habitatoribus, omnium forisfacturarum de criminalibus peccatis, vel non criminalibus, prodeuntium pecuniam, et de ipsis omnibus habitatoribus de non criminalibus peccatis penitentie injunctionem. Addo etiam ut ex ipsis criminalibus quandocunque in prefatis ecclesiis, domibus, terris, audiri contigerint, ab archidiacono Baiocensi abbas vel prior predicti cenobii, non ipse super quo crimen auditum fuerit, moneatur, et ibidem ab utroque disposito termino, congruo ac prefixo die, convenient monacus et archidiaconus, et in ipsa parochia, in qua crimen auditum fuerit, predictis presentibus, inquiratur, inquisito discutiatur, et discusso, si inde judicium portandum prodierit, vel cognitio peccati patuerit, Baiocensis ecclesia ut decet requiratur, vel causa examinationis, vel gratia consequende reconciliationis. De prefatis vero ecclesiis synodoticum debitum, et circatam, et in Pentecoste processiones, et alias ecclesiasticas consuetudines, et ut prescriptarum ecclesiarum clerici sic legitime statutis temporibus ad synodus veniant, ne sub aliqua occasione ab eis pecunia requiratur. Trado etiam consuetudinem plaustrorum que de Besatia ad Cadomum venalia ligna ferunt, postquam intra leugam predicti Burgi intraverint ; censum et omnem consuetudinem omnium domorum, ad Baiocensis ecclesie jus pertinentium, que in burgo monasterii site sunt ; duas partes decimarum de terris quas predictum cenobium habet in territorio Cadomi et Villarii ; Villariensem ecclesiam ; et ecclesiam Sancti Nicholai. Quicunque vero de majori Burgo, cuius sepulture ad jus episcopii Sancte Marie Baiocensis pertinent, in cymiterio prefati cenobii sepeliri petierit, liberrimam ex nostra concessione absque omni contradictione habeat potestatem ; si autem mortuum quis illuc transferre voluerit, qui vivens non requisierit, hoc concedo fieri cum licentia tamen ministri mei. Pro qua mea traditione, ne quis eam successorum meorum quandoque valeat dissolvere, dedit dominus meus Willelmus, Anglorum rex, Normannorum et Cenomannorum princeps, in dedicatione, ecclesie Sancte Marie Baiocensi, perpetuo jure possidendum, silvam quam Elam vocant, pro salute quoque anime sue, uxoris, parentum, ac filiorum suorum.

Hujusmodi scriptum allatum est nobis ex verbis Odonis nostri predecessoris, Baiocensis ecclesie antistitis, insignitum atque confirmatum sigillo et auctoritate domini Willelmi, Anglorum regis, Normannorum et Cenomannorum principis ; signis et attestationibus ipsius, et horum antistitum ac precedentium patrum : Johannis, Rotomagensis archiepiscopi ; Odonis, Baiocensis episcopi ; Willelmi, abbatis Fiscanni ; Ricardi, filii comitis Gisleberti ; Roberti de Bellomonte ; Mathildis, regine Anglorum et comitisse Normannorum et Cenomannorum ; Hugonis de Grentemaisnil ; Henrici de Ferreris.

Ut autem hoc ratum et firmum habeatur, sigillo et auctoritate nostra confirmamus et corroboramus.